


igitur magnis animi virtutibus am...



PROPEMPTICA
in discessum

LIBERALIVM
ARTIVM SCIENTIA,
ORTHODOXA PIETATE, VITA
probata, morumq; integritate præstantis-
simi Viri, D. Stephani A Tholnensis,
post felicem studiorum profectū,
in patriam Vngariam redeun-
tis Viteberga Septemb.

Scripta


Ab

Amicis, amoris & benevolentia ergo




VVITEBERGÆ,
Per Hæredes Clementis Schleichij,
Anno 1589.

387
17
11
12



Οὐτ' ἐρυθροῦ χρυσοῦ, δὲ ἀργύρου ἀνυγαλίοιο
 σίλωσις λάμπε παμφανόσω τὸσον
 ὡππερ ἀνὴρ οὐ ἐνὶ σήθεσι φίλοισι λιγύρα
 τέχνη ἀθάνατοι γυνὴ ἔθεντο κόρα.
 τέχνη γὰρ πυρρὴ ἔπειτα κλέει ἀϊερ ἀμειμπτον
 σώματι ὡππερ ἐν πάντι πάρεσι σκία.
 τίπτε δ' ἐμ ἀνθρώποις μεζορὴ καλλιόρ ἐσι
 δόξα, ἢ τέχνη εὐσκοπὸν ἀνδρὶ φέρει
 οὐ ρόδου, οὐδ' ἐῖορ λευκόρ, ἢ ἐμ εἶαρι ἀνθῶρ
 λευκόχσορ ταύτης καλλιόρ ἐσι κρίνον.
 καὶ γὰρ τὸ κρίνον ἴε ἀνέμω ἐδαφίση ἀκραίη
 ῥηὶ δῖωε δὲ φθίνει πᾶρ ἴορ ἠδὲ ρόδου.
 ἀθάνατ' δ' αἶερ λάμπε, ἢ τέχνη ὀπάσθη,
 δόξα γε, οὐτ' ἀνέμωε οὐτε φοβῶσα δόρου
 καὶ ση δόξα ἐτ' αἶρ οὐκ ἔσσητ' ἀμαυρὰ κατ' ἀνδρῶε
 πλῆσ' ἐπεὶ ἐκ μασῶρ ἀγλαα δῶρα φέρει.
 ὄλβι' ἴδι, θεὸε δὲ σοι ἄλγ' ἄλασορ ἀλαλκοῖ
 ἐνθ' ὄδῳ, ἢ δὲ ἐπει πατρίδα γαῖαν ἴδιοε.
 ὡσε δ' ἐνὶ κλισίησι διαμπερὴε ἡματα πάντα
 γκράσκειμ λιπαρῶε ἐδ' λά τὸ πάντα φέρει.

Michael Marthius Neo-
foliensis,



Il sunt inanes diuitiæ atq; opes
 Longis paratæ nixibus, effera
 Cùm Mors ferat, gyro volantes
 Concita, ceu rapit, aura plumas.

Non afferemus diuitijs moram
 Vitæ, nec vnquam fata mouebimus,
 Sed, transeundum, siue Reges,
 Siue inopes erimus coloni,
 Tunc deserenda est & domus omnibus
 Et quicquid orbis nunc habet optimû,
 Nec præter ipsam nos sequentur
 Vlla bonam benè gesta famam.
 Nil alta tunc nos nempe palatia
 Sumptuq; structæ regifico domus,
 Nil gemma, vestis, nil & aurum,
 Diuitiæq; & opes iuuabunt
 His nemo vitam nam redimet suam
 Donisq; mortem flectet inermibus,
 Ignotus his regnabit hæres,
 Frigida cùm calor ossa linquet.
 Sed nos iuuabit condere coelitus
 Delata nostris dogmata cordibus
 Quæ nec ferox cælo premet Mors,
 Parca nec inuida quippe terris.
 His namq; donis morte carebimus,
 Aduersa nunquam fata timebimus,
 Calcanda nobis siue tellus,
 Siue erit acribus vnda remis,
 Visenda diuim quin domus omnibus
 His læta donis, atq; Adami genus,
 Vatumq; coelis sacra sedes,
 Et veterum reparata Regum.

His ergo mentem muneribus bonis
Dilecte dices, quò magis impium
Plutona vites, & Megæram,
Quicquid & Orbis habet furoris.
Quin nec sacris his muneribus cares,
Dum labra sacro flumine Dælij
Phœbi sub antro ritè tingis,
Atq; animum potiore dono.
Nam quicquid ingens Albiacæ domus
Clariq; produnt sacra Melanthonis
Vidisti & audisti camænas
Donaq; Palladis imbibisti.
Felix es ergo cuius ad oscula
Phœbæa proles iam properat suis
Ornata fertis, & triumpho,
Munera grata ferens amico.
Hæc Parca nunquàm diripiet ferox
Non orbis ardens impediēt furor,
Sertuata post mortem vigeant,
Interitumq; pij beabunt.
His turba vatū sidereas domos,
Sacriq; Reges limen olympicum,
Diuesq; nummis atque pauper
Posthabitis adiere terras.
His ergo pubem Pannonicam bonis
Plebemq; donis & Patriam bea
Virtutis ardentem benignæ,
Et pietatis amore sanctæ.
Mortalibus ne barbaries rudis
Horrenda in oris iura det Hunnicis,
Inculca sub te sed retrorsum
Terga det, impietasq; cedat.

Non

Non acer hostis dilaceret gregem
Christi, furenter quem Stygius nigritis
Dis terret umbris, atque sæui
Iura premunt truculenta Papæ.
Te Rector orbis factor & omnium,
Ut reddat oris iam patriis, precor,
Ciuesq; possis & patronum
Incolumes Patriæ videre.
Felixque sit nunc hic reditus tuus,
Prosis alumnis artibus ut piis,
Coetumq; sacrum quò iuuare
Atq; Deum celebrare possis.
Hunc ergo terris redde Pater suis,
Ut grata præstet munera, te precor,
Informet acres siue ludos,
Siue rudem, pietate, plebem.

Demetrius B. Liscensis.

ALIVD,

*Sicut ad extremos mercator providus Indos
Currit, ab infido metuens nihil equore, savas
Non hyemes, neq; quos æstivo Sole calores
Excitat in rabiem conversa Canicula, vel quos
Vrniger autumnus sub tempus Aquarius imbres
Effundit; sed iter cælesti numine cæptum.
Per varios casus, per aperta pericula rerum
Vrgens, optatum properat contingere portum,
In sua donec eas revehat laquearia merces,
Pro quibus infracto spumas salis ære ruebat:
Non secus ingenuas didicisse fideliter artes
Qui cupit, ut quondam patrijs queat utilis oris,
Esse, velut profugus longinquas quarere terras*
Multaq;

Multaq; nabet patienti animo perferre necesse.
Segnis enim patriis quicunq; remanserit oris,
Nec grandis, prater puerilis prima Minerva.
Orsa sequi, Veterisq; notas cognoscere Cadmi,
Plura volet, nunquam se caecis offeret umbris
In rutilum stellis, quem sustinet Axis olympum.
Sed quicunq; suum vento caput & maris unda
Credet in extremum proficiscens impiger orbem,
Qua vel purpureo Sol nascitur aureus ortu,
Vel Tartesiatis pronus demergitur undis,
Quave Lycaonio Cynosura sub axe locata
Aequoris haud undas timet, oppositusue Draconi
Circulus Antipodas pendentes Vertice cernit,
Non tantum magnos sibi conciliabit honores,
Sed quoq; quas unquam cum Musis extudit artes
Delius, addiscet, modo ne vigilantia desit,
Nec magis luxuriet somno, quam pervigil Argus,
Aut Colchus Lybicusve anguis, vel inhospita Gorgon.
Aspicis ut docti passim sacra fama PLATONIS.
Floreat, ingeniumq; obitus miretur & ortus
Solis? non alio hac sunt illi parva labore,
Quam quod in externas juvenis se contulit oras
Multa solo atq; salo passus, sudoris & algi
Nunquam expers, Bacchi & veneris sed jugiter expers
Nam vix egressus puerilis tempora vita,
Deserto in. Latias recipit se Socrate terras,
Pythagora audit ubi rigidissima scita professos.
Inde trigonalem vacca Memphitidos oram,
Fertur ubi sancti legisse volumina Mosis,
Permeat, ut varium sibi rerum compararet usum,
Et meliora nova decerpit dona Minerva.
Praterco Aethneas quas Aeolis insula flammis

Evo-

Evomit, has etiam celebris vir viderat ante,
Frigida communi quam redderet ossa parenti.
Nec minor insignem Musarum cura Magistrum
Pellai juvenis tenuit, qui tecta relinquens,
A parvo per qua puero reptavit, adivit
Gymnasium, doctis quod tum florebat Athenis:
Quem fugit: ut Cicero Romani maximus author
Eloquij, & liquidum fama super aethera notus
Ausonia ad Gracos migraverit urbe, suiq;
Pectora ceu nati dederit fingenda Cratippo
Præceptis, spaciantum hodie quibus utitur ordo?
Scimus ad Assyrios veluti confugerit exul
Pythagoras, veluti Brachmannas adiverit Indos
Astronomi Tyanæus vagus admirator Iarcha.
Nec nos deficiunt exempla domestica; quippe
Qui memori infixum retinemus mente Poetam
Pannonium, nostri decus indelebile regni,
Eridani primum patrium de gurgite ad Istrum
Duxisse Aonides phæbo comitante sorores.
Nec sumus ignari quot magni ætate Philippi
Te petiere sitam gelida Viteberga sub Arcto
Pannonij, & nostro quot tempore foveris alma
Religionis iter, vera pietate sequentes,
Doctrina illustres & fama nominis alti.
Tu quoq; non austera pijs Academia mater
Phæbi colis bene scis non paucos inde quotannis
Instructos magna studiorum merce reverti,
Sic etiam Phæbo Musis nutritus & ipsis
Tholnæus parat his jam jam discedere tectis,
Impertire volens divini semina verbi,
In patriaq; sacros doctrina effundere rivus.
Hæc quibus excipiet præsentem plausibus? illi

Patria

*Patria communi quem deferet ore fauorem?
Fallor? an illustri de stirpe TEKE LIVS ortus
Et pietatis amans, Phœbea cultor & artis,
Primus huic dextram proprio ut Patronus alumno
Iunget? an Ambrosio perfusus rore Σέβαστο
Eloquioq; VALENS insigni HORTENSIVS, illum
Quamvis de facie ignotum: tamen unicè amabunt
Gaudebuntq; suos salvum subijisse penates
Quicquid erit, gratum, mihi spes est certa, futurum
Omnibus, in primis claro virtute Patrono.
Nam si mercator latatur avarus abundè,
Cum famulis remeat quando sua navis & affert
Lucrosas merces, preciosos Cynnami odores,
Thura, electra, piper, velamina serica, vestes
Et Tyrias, res atq; alias quas possidet Indus,
Cur non plura suo declaret gaudia alumno
Mecænas opibus mundi meliora ferenti?
Tu modo chara parens mecum his Academia verbis.
Pro discessuri pia concipe vota salute.
Quo non est melior dubiarum CHRE viarum
Ductor, huic etiam juveni tua sacra colenti
Sis comes, incolumemq; focis mox redde paternis
Vt quas hic didicit celebres ibi sedulus artes
Invidiaq; carens hominum convertat in usus.*

Simon Arelius Varaliensis
Sæpulus.

FINIS.